



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.  
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. II. Rejectio aliarum opinionum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

13. Ad 2. Confirmationem Respondeo in primis per illam nimum probari; cum enim essentia Divina sit etiam motivum formale comprehensivæ visionis, sequeretur, quod DEUS seipsum posset comprehendere non visis Personis, quod nemo concesserit. Secundò igitur distinguo antecedens. Est objectum formale visionis, ut est cognitio, concedo, ut est beatifica, nego. Nam

visio sub ratione cognitionis exigit pro objecto formali motivo id, ratione cuius omnia in DEO sunt intelligibilia, sed hoc est essentia Divina, cuius essentiale constitutum est ipsum intelligere actualissimum. At verò sub ratione beatifica exigit pro formali objecto id, quod est summe satiativum & certificativum, quod non est, nisi essentia Divina ut in se clarè vífa.

## ARTICULUS II.

### *An beatitudo formalis consistat in operatione creata?*

#### SUMMARI A.

1. *Varia sententia de beatitudine.*
2. *Beatitudo formalis ponenda in operatione creata.*
3. *Que non est partis sensitiva, sed rationalis.*
4. *Christi humanitas non beatificatur formaliter per unionem hypostaticam.*
5. *Increata DEI visio, non potest esse beatitudo formalis.*
6. *Neque substantialis illapsus Divina essentia in animam beati.*
7. *Neque gratia sanctificans, vel lumen gloria.*
8. *Neque potest a solo DEO procedere.*
9. *Exponitur modus loquendi SS. P. P.*
10. *Disparitas inter hypostasin & visionem.*
11. *Substantia anima est beatificabilis mediata.*
12. *Beatitudo formalis est maxima perfectio sub ratione actualitatis ultima affectiva summi boni.*
13. *Quid sit gratia consummata?*
14. *An homo beatificet seipsum?*
15. *An Christus formaliter sit beatus per unionem hypostaticam?*

DEI vita eterna. Et Joan. 17. *Hæc est vita eterna, ut cognoscant te solum verum DEUM.* Sed vita secunda hominis est operatio ipsius: ergò.

Secundò. Ultima hominis perfectio in genere vitæ intellectualis, affectuionis & possessionis Summi Boni, est operatio vitalis ipsius: sed beatitudo est ultima hominis perfectio in genere vitæ intellectualis. Major probatur. Quamvis homo est in potentia perfectibilis per actum secundum in genere vitæ intellectualis, tamen non habet ultimam perfectionem ejusdem generis; sed, si careat operatione vitali, est in potentia perfectibilis per actum secundum in genere vitæ intellectualis: ergò.

Tertio. Affectuio & possessio Summi Boni formaliter affectuiva Beati non potest intelligi absque vitali operatione ipsius; sed beatitudo formalis est adeptio & possessio Summi Boni formaliter affectuiva: ergò. Tandem sequuntur §. constabit beatitudinem formalem consistere in actu visionis; sed hic est operatio vitalis: ergò.

Ex quo inferes I. Hanc operationem vitalem non esse partis sensitivæ, sed rationalis, siquidem hæc sola est capax attingendi DEUM, ut finem ultimum & supernaturalem, uti pluribus insinuat in Tract. de DEO.

Inferes secundò: Quamvis unio hypostatica sit absolute major perfectio, quam visio beatifica, sitque fundamentum ipsius, quia Christo ratione unionis hypostaticæ debetur visio beatifica, Christum tamen non esse beatum formaliter per unionem hypostaticam, sed per visionem beatificam. Ratio ex dictis est: quod unio hypostatica non sit operatio vitalis, nec unio affectiva Summi Boni, qualem tantum est visioem, mox dicemus.

#### §. II.

##### *Rejctio aliarum opinionum.*

Inferes tertio: Beatitudinem formalem non posse consistere in increata visione DEI, quia ipse est beatus. Ratio ex dictis patet: quia visio increata DEI non potest denominare Beatum vitaliter operantem, & videntem, ipsiunque in genere naturæ intellectualis intrinsecè ac ultimato perficere; sed hoc totum requiritur ad beatitudinem formalem: ergò.

#### §. I.

##### *Statuitur beatitudo formalis in operatione creata.*

1. **V**ARIA fuerunt de hoc puncto Antiquorum placita: nam Henricus Gandavenfis, Hugo de S. Victore, & quidam DD. Parisienses contendeant, beatitudinem formalem consistere in intimo illapsu Divinitatis intra animam beati. Qui illapsus quadruplicem patitur expositionem. Primò, quòd ipsa DEI essentia intimè penetrans substantiam Beati, illam quodammodo in se transformet, sicut ignis ferrum candens. Secundò, quòd DEUS intimè unitus intellectui Beati eundem per suammet increatam visionem faciat & denominet videntem beatum. Tertio [prout Amicus Henricum exponit disp. 2. sec. 4.] quòd ipsa animæ substantia per donum habituale gratiæ consummatæ fiat unita Divinæ essentiæ. Quarto, quòd solus DEUS actum visionis & fruitionis beatificæ in anima Beati efficiat, ista passivè solum se habente.
2. Vera & communis Duce Divo Thoma hic art. 1. & secundò, sententia est, beatitudinem formalem creaturæ rationalis consistere in ipsius propria, creata, & elicta operatione. Cujus ratio est primò. Beatitudo formalis hominis est vita secunda ipsius juxta illud Rom. 6. *Gratia*

Inferes quartò. Beatitudinem formalem non posse consistere in illapso Divinæ essentia in substantiam animæ, nisi per illapsum intelligas concurren-  
tium Divinæ essentia per modum speciei intelligibilis ad causandam beatificam visionem. Ratio est eadem, quia illapsus ille non est vitale exercitium & operatio Beati. Adde, quòd ille illapsus non sit perfectior in ratione unionis, quam sit unio hypostatica, quæ tamen animam Christi beatam formaliter non reddit.

Inferes quintò: Beatitudinem non posse consistere in lumine gloriæ, aut alio dono habituali, quia habitus nec dicit ultimam actualitatem & perfectionem, neque affectionem Summi Boni, quam essentialiter dicit beatitudo.

Inferes sextò. Neq; per absolutam Dei potentiam fieri posse, ut beatitudo formalis procedat à solo DEO, anima Beati tantum se habente passive. Sic enim non esset operatio vitalis Beati, neque posset ipsum denominare videntem & viventem, aut vitaliter consequentem Summum Bonum, quod repugnat beatitudini formali.

Neque opponas antiquum illud: posse Deum se solo, quidquid potest cum causis secundis efficientibus: hæc enim propositio fallit, quotiescunque effectus habet essentialem dependentiam à causa creata, & quoties causa creata non solum habet rationem causæ efficientis, sed etiam formalis vel subjectivæ & materialis respectu sui effectus: atqui visio tanquam ex propria differentiali ratione vitale exercitium videntis & viventis vitæ intellectivæ, habet essentialem dependentiam à principio conjuncto creato, neque tantum dicit habitudinem effectus ad videntem tanquam ad suum principium effectivum, sed etiam habitudinem formæ informantis ad subjectum à se connaturaliter actuale: hæc quippe duo sunt necessaria requisita ad vitam creatam in DEO secundo, primò, ut sit actus vitæ elicitus à principio intrinseco vitali, secundo, ut in eodem recipiatur, vivere enim est moveri ab intrinseco, & à se operari.

Nec obstat, quòd in visione beatifica verbum intellectuale creatum, quod aliàs ab actu intelligendi dependet, à DEO suppleri dicimus: non enim suppletur secundum adequatam rationem verbi, nempe tam quoad rationem expressionis, tam quoad rationem speciei representantis, sed secundum inadæquatam rationem speciei representantis, quæ sufficit ad terminandum actum visionis, etque absolute ab actuali expressione sive ab habitudine ad visionem experientem separabilis. At verò si DEUS se solo produceret visionem, intellectu Beati solummodo passivè & subjectivè se habente, deberet illam producere sub adequata ratione operationis & visionis vitalis, cum aliàs talis visio Beati nec determinaret videntem, nec viventem, nec proinde sufficeret ad beatitudinem, hoc autem implicare ex dictis constat.

Petes. An saltem visio, aut alius actus vitalis v.g. amor secundum inadæquatam rationem qualitatis, non verò operationis vitalis, à solo DEO produci, & in intellectu poni posset? Citantur pro hac sententia Capreolus & Cajetanus ab Antonio hic disp. 2. sect. 5. Verius tamen existimo,

non posse: quia implicat poni in rerum natura genus, non positis differentiis specificis & individualibus v.g. poni animal Platonicum, quod nec esset homo, nec brutum: sed poni visionem, aut actum alium, vitalem præcisè secundum rationem qualitatis, non secundum rationem actus vitalis, nihil est aliud, quam poni rationem genericam (qualitatis) non positis differentiis specificis (vitalitatis intellectivæ) ad determinatam speciem contrahentibus: ergò. Minor probatur, De ratione specifica actus vitalis est, esse actum secundum, à principio intrinseco, esse tendentiam potentia in suum objectum &c. Ratio verò qualitatis est ipsi generica, & communis cum non vitalibus: ergò.

Confirmatur. Implicat rem poni, non positâ suâ essentia; sed essentia actus vitalis est esse vitalem, esse tendentiam in objectum à principio intrinseco, præsertim in actu amoris, qui per essentiam est voluntarius, & consequenter à principio intrinseco: ergò implicat actum vitalem poni à principio purè extrinseco, relicta ratione vitalitatis.

## §. III.

*Solvuntur objectiones.*

**O**bjec. 1. SS. PP. comunitè affirmant, in visione & amore beatifico animam transformari in DEUM, sicut ferrum candens in ignem, & diaphanum in lucem, ita ut anima cum suis potentibus appareat, quasi aliquid Divinum: atqui hic modus loquendi significat substantialem quendam illapsum & unionem ipsius esse, vel intelligere Divini cum anima Beati.

Nec est assignabilis implicancia talis unionis, Nam quomodo de facto personalitas Verbi Divini cum natura humana Christi; & secundo essentia Divina in ratione speciei intelligibilis immediate unitur cum intellectu Beati. quid ergò repugnat increatam DEI intellectionem seipsa uniri intellectui creato ad ipsum formaliter constituendum in esse intelligentis & videntis Divinam essentiam?

Respondeo: SS. PP. esse exponendos de transformatione partim participativa per lumen gloriæ, quo eleventur ad Divinum modum intelligendi, partim intelligibili per contemplativam defixionem in Divinam essentiam sibi in ratione speciei intelligibilis intimè unitam. Ratio verò implicancie petita est, quòd illa unio substantialis Beatum redderet ex hypothesi, & non redderet vitaliter videntem, fruentem &c. Siquidem implicat Divinam essentiam vel operationem vitaliter conjungi aut radicari in anima, vel potentia Beati, aut ab illo vitaliter procedere.

Hinc patet, quid sit dicendum ad postas instantias & paritates. Neque enim vel personalitas Verbi in humanitate, vel species intelligibilis in intellectu Beati habet rationem exercitij & operationis vitalis, sed illa termini hypostatici, ista motivi determinativi, & objecti terminativi intelligibilis: atqui beatitudo formalis ex propria ratione est exercitium vitale, & operatio vitalis Beati, ideòque debet in ipsa natura Beati tanquam principio immanenti radicari & originari.

C 3

Dicca.